

GEORGIVS PRINCEPS ANHALTINVS ET PRAEPOSITUS
Magdeburgensis



Georgius natus est 15 die Augusti 1507, ex illius striss. familia principū Anhaltinorū, quæ iam inde ab Bernthobaldo, tempore Clotarij (filij regis Francorum Clodouei primi Christiani) anno círci 539 deducta, electores Saxonie, atq; Brandenburgenses, cum multis alijs principibus & comitibus Germanie, Italie, Gallie, Hispanie atq; Anglie produxit, & semper in maxima autoritate fuit. patrem habuit Ernestum principem Anhaltinum, comitē Ascaniæ, ac dominū in Berneburg et Zerbst, matrem uero Margaretham filiam Heinrici ducis in Münsterberg. Ab ijs parentibus Georgius prognatus, & omni genere uirtutū educatus est. Cum etiam felici indole esset insignis, à pueris bonis literis operam dedit, atq; artiū & linguarū usum egregiè percepit. Postea Vuitebergam peruenit, atq; Theologiae studio tanta diligentia incubuit, ut etiam doctissimis Theologis adnumeraretur. Itaq; omnium bonorum consensu Magdeburgensis & Misnensis ecclesiarum Præpositus electus fuit. Cum etiam pater Ernestus anno 1516 obiisset, atq; uxor Margaretha ad annum 1530 suam & filiorum ditionē prudenter administrasset, post eius mortem tres fratres Ioannes, Georgius, ac Ioachimus paternam regionem inter se diuiserunt. Ibi Georgius Anhaltinum principū, cum Hatzkerode & Gunthersberga adeptus, subditis suis magna prudenter & animi moderatione præfuit, atq; cum fratribus tanta concordia uixit, ut cunctis alijs principibus merito exemplo extiterint.